

neque corpus. Sed si homo aliquo modo ex animali et rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duobus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis est sine determinatione formæ specialis, naturam exprimens rei, ex eo quod est materiale respectu ultimæ perfectionis. Intellectus autem hujus differentia rationalis consistit in determinatione formæ specialis: ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei vel definitionis. Et ideo sicut res constituta ex aliquibus non recipit prædicationem earum rerum, ex quibus constituitur, ita nec intellectus recipit prædicationem eorum intellectuum, ex quibus constituitur: non enim dicimus, quod definitio sit genus vel differentia (1).

Quomodo
genus sub se
contineat differ-
entias.

4.^o Ex dictis denique facile solvitur illa alia quæstio, quomodo scilicet genus sub se contineat differentias. Continet enim illas non in actu sed in potentia dumtaxat modo proportionali, quo materia continet formas, quatenus nempe ratio generica non continet inter sua constitutiva differentias, sed potest illas accipere ad constituendam speciem.

§ V.—PROPRIUM SEU PROPRIETAS.

186. Circa quartum hoc prædicabile

Utrum
prædicationes
de proprio
sint necessariae
veritati.

Quæritur 1.^o utrum prædicationes de proprio sint necessariae veritati. Et cum distinctione respondendum est, nam proprium duplex distingui potest, *metaphysicum* et *physicum*. Physicum est, quod per se necessario sequitur essentiam rei, ab eaque realiter distinguitur. Talis proprietas est in sole lux, et in igne calor. Metaphysicum est, quod cum realiter idem sit cum essentia integra rei, distinguitur tamen ab ea per rationem, et concipitur tamquam radicata in eadem, et necessario consequens illam: hoc pacto *immortalitas* est proprietas substantiæ spiritualis. Itaque prædicationes de proprio metaphysico sunt necessariae veritati necessitate metaphysica et ineluctabili, ut patet, quia cum proprium metaphysicum sit idem re cum essentia, non possunt ab ea per quamcumque potentiam separari. Prædicationes autem de proprio physico sunt necessariae veritati, naturaliter

(1) S. Thom. Opus. de Ente et essent. cap. 3. Cfr. Cardinal. Tolet., In cap. de differentia, Sed omitta qualitate accidentali.

loquendo, quia proprium hujusmodi secundum naturalem ordinem non potest non manare ab essentia, nec potest deficere, nisi impediatur divina potentia miraculum patrando (1).

Quæritur 2.^o de quibus prædicetur Proprium. Proprium bifariam considerari potest, primo relate ad naturam, cujus est proprium, et secundo proprium in communi respectu proprii in individuo. Proprium ergo relate ad rationem genericam vel specificam, cujus est proprium, nequit prædicari ut universale, quia non patet latius illa, atque adeo non est proprium respectu illius, sicut superius diximus de differentia respectu speciei. Proprium vero generis prædicari potest ut universale de speciebus, sicut quantitas v. g. de omni specie corporis, itemque proprium speciei de individuis v. g. risibilitas de singulis particularibus hominibus. Proprium etiam in communi prædicari potest tanquam species de singulis individuis propriis: ut si dicas: *Hoc risibile est risibile*; neque enim respectu illorum habet rationem proprii.

Quomodo
proprium
prædicatur.

§ VI.—ACCIDENS LOGICUM.

187. De accidenti dubitatur, quomodo prædicari possit de subjecto, cum sit ab eo realiter distinctum, et contingenter eidem adveniens, ut cum dicis: *Petrus est doctus, vel albus* etc. Res tamen facile declaratur, nam in his aliisque propositionibus interpretatio logica est, ut prædicatum idem valeat ac *habens tale accidens*, atque adeo vis allatæ orationis est hic: *Petrus est habens doctrinam, albedinem*, etc., ubi vides doctrinam vel albedinem non in recto, sed in obliquo prædicari. Vel si mavis rem aliter explicare, in hujusmodi prædicationibus non enuntiatur identitas accidentis cum subjecto, sed actualis unio vel in hærentia accidentis in subjecto. Quare licet doctrina, vel albedo aut quodlibet aliud accidens re distinguatur a subjecto, et propterea etiam nequeat prædicari in abstracto de illo, dicendo v. g.: *Petrus est doctrina vel albedo*, verissime tamen prædicatur in concreto, quia si Petrus sit *doctus* vel *albus*, datur perfectissima identitas inter *Petrum et habentem doctrinam vel albedinem* (2).

Quomodo
prædicatur
accidens de
subjecto.

(1) Vide Lossada, loc. cit., disp. 2, cap. 3.
(2) Plura dabit Lossada, loc. cit.

Id quod est
accidens
respectu unius,
potest esse
essentiale quid-
dam respectu
alterius.

Ab absolutam
prædicationem
accidentis
physici et intrin-
seci requiritur
existentia
subiecti

De hoc quinto prædicabili illud etiam præ oculis est habendum, rem, quæ respectu alicujus subiecti est accidens, posse sub alia consideratione esse genus vel speciem. v. g. color est accidens respectu corporum, et genus respectu albedinis, ruboris, etc., et species respectu qualitatuum visualium.

Denique patet ad veram et absolutam prædicationem accidentis physici et intrinseci, dum prædicatur per modum quinti prædicabilis, necessario requiri existentiam subiecti a parte rei. Ratio est, quia, ut nuper dicebamus, cum accidens prædicatur de subiecto, enuntiat actualis unio illius cum hoc; implicat autem unio accidentis physici et intrinseci cum subiecto non existenti.

Dixi primo ad absolutam prædicationem, quia conditionalis, qualis foret hæc v. g.: *Si Petrus existat erit albus*, potest vera esse etiam subiecto non existente, quia prædicatio conditionalis non enuntiat unionem accidentis, quæ actu sit, sed quæ esset in hypothesi.

Dixi secundo ad prædicationem accidentis physici et intrinseci, quia ad veram prædicationem accidentis extrinseci præsertim intentionalis non semper requiritur realis existentia subiecti; quia hujusmodi accidens non unitur realiter subiecto, nec ab eo sustentatur. Sic vere dicitur: *Anti-Christus est cognitus, Salus, quæ amissa est, optatur*. Immo nec requiritur subiecti possibilitas, cum vere etiam enuntietur: *Chimæra est cognita*. Quædam tamen sunt accidentia intentionalia, quæ ob peculiarem suam conditionem necessario postulant subiecti existentiam. Sic nihil vere enuntiaripotest *visum*, quin realiter existat, quia visio necessario terminatur ad objectum realiter existens (1).

(1) Vide Lossada, loc. cit., cap. 4.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE PRINCIPIIS DEMONSTRATIONIS.

Tria præstanda sunt circa principia: primo eorum tradenda notio, deinde probanda existentia, tertio denique modus docendus, quo eadem colliguntur ex singularium observatione.

CAPUT I.

DECLARATUR NOTIO

PRINCIPIORUM.

Principium generatim definitur ab Aristotele, *Primum... unde* (aliquid) *aut est, aut fit, aut cognoscitur* (1): ex qua definitione aliud est principium essendi et fiendi et aliud principium cognoscendi. Nos autem hic de solo principio cognoscendi agere debemus.

De quibus
principia hic sit
sermo.

ARTICULUS I.

Quid sit Principium cognitionis et quotuplex.

188. Principia cognitionis vel demonstrationis sic definit Aristoteles: *Ea in quocumque genere principia dico, de quibus, quod sint, demonstrari non oportet* (2).

Definitur
principium cog-
nitionis.

Porro cum ex principiis quædam sint incomplexa seu simplicia, qualia sunt termini ac definitiones, alia vero complexa, nempe propositiones, utrumque genus hac descriptione comprehendit Philosophus. Utrumque enim non demonstratur, sed supponitur esse verum. Nam principium in scientiis et demonstrationibus est id, unde illæ sumunt exor-

Principia
incomplexa et
complexa.

(1) Aristot., lib. 5 *Metaphysicor.*, cap. 1.

(2) Aristot., lib. 1.^a *Posterior*, cap. 8.

dium, ideoque et verum sit, oportet, ac tamquam verum supponatur, quin demonstratur. Si enim falsum foret, nihil posset ex eo demonstrari; et si demonstratur, jam desineret esse principium, saltem in illa scientia et demonstratione. Apposite S. Thomas: *Dicit (Aristoteles), quod principia in unoquoque genere sunt illa, quæ cum sint vera; tamen non convenit ea demonstrare in illa scientia, in qua sunt principia. Dicit autem cum sint vera, ad differentiam falsorum, quæ non demonstrantur in aliena scientia* (1). Quamobrem «est hæc pulchra regula principia dignoscendi et in scientia qualibet et in demonstratione, ea scilicet, quæ talis scientia seu talis demonstratio non probat esse, sed supponit; v. g. supponit Geometria esse lineas, signa, id est, puncta, Arithmetica unitates, numeros, hæc dicuntur principia. Similiter in qualibet peculiari demonstratione non demonstramus subjectum esse, nec medium, et ideo hæc dicuntur principia. Hoc autem non solum de simplicibus principiis (nimirum terminis) sed etiam de complexis, quales sunt propositiones, dignitates et præmissæ in demonstrationibus singulis: hæc enim omnia, ut non demonstrantur in scientia illa vera esse, dicuntur principia scientiæ; ut vero præmissæ in illa demonstratione, cujus sunt non demonstrantur, illius principia dicuntur. Et universaliter, quod est in scientia et demonstratione, quod illic non demonstratur esse, sed supponatur, id est principium, sive simplex sive complexum» (2).

Quid
principiata.

Jam ea, quæ per principia cognoscuntur vocantur *principiata*, et sunt pariter simplicia, nimirum passiones vel attributa subjecti, et conclusiones, quæ derivantur ex præmissis.

Hinc patet in quo conveniant, principia, sive simplicia sive complexa, cum principiatis, et in quo discrepent. Conveniunt in eo, quod ad omnem demonstrationem et scientiam, debet supponi cognitio saltem *significationis* non solum principiorum, sed etiam principiatorum: quomodo enim inquiri ac demonstrari possunt de subjecto attributa vel passiones, quæ ne de nomine quidem cognoscuntur, vel conclusiones, quarum ignorantur termini? Discrepant vero, quia de

(1) S. Thom., lib. 1.^o *Posterior.*, lect. 18, paragr. b.

(2) Tolet., in lib. 1. *Posterior.*, cap. 8, in exposit. n. 1.

principiis quidem oportet præterea supponere et cognoscere, quod sint; nimirum «si simplicia, quod existant, si complexa, quod vera sint. At de principiatis id demonstramus, nam conclusionem veram esse demonstramus, similiter ipsam passionem inesse demonstramus, non autem supponimus» (1).

Præter allatam modo divisionem principiorum in simplicia et complexa, est alia, qua principia distinguuntur in *communia* et *propria*. Communia sunt illa, quæ pluribus scientiis serviunt, propria vero illa, quæ singularibus scientiis peculiariter sunt. Si autem quæras, quomodo scientiæ diversæ, cum singulæ pro sua natura et diversis procedere debeant, communibus uti possunt principiis, «respondetur non uti scientias his communibus, ut communia sunt, sed unaquæque scientia et demonstratio ea limitat ad suam materiam, ad quam eis indiget» (2). Sic principium illud: *Si ab æqualibus æqualia demas, restant æqualia*, quod tum Geometriæ tum Arithmeticæ commune est, illa contrahit ad magnitudines, hæc ad numeros.

Cum hac divisione coincidit divisio principiorum in *axiomata* et *positiones*, de qua mox dicetur.

Tertio dividuntur principia in *indemonstrabilia simpliciter*, et *indemonstrabilia secundum quid*. Indemonstrabilia simpliciter sunt ea, quæ cum medio careant, demonstrari nequeunt a priori, ideoque vocari etiam solent *immediata*; quamvis nihil vetat quominus demonstrari queant a posteriori vel etiam demonstratione indirecta, id enim non destruit rationem propositionis immediatæ ac principii simpliciter indemonstrabilis. Indemonstrabilia secundum quid sunt illa, quæ demonstrari quidem possunt, et etiam demonstrantur a priori in alia scientia; in illa vero, in qua assumuntur pro principiis, nequeunt demonstrari, sed supponuntur ut vera: talia sunt principia scientiarum subalternarum, ut suo loco dicetur (3), et præmissæ plurimarum demonstrationum, quæ sæpe sunt conclusiones alibi in antecessum demonstratæ.

Principia
communia et
propria:

indemonstra-
bilia simpliciter,
et secundum
quid:

(1) Tolet., ib. n. 2.

(2) Tolet., ib. n. 3.

(3) Vide S. Th., cum Aristot., lib. 1.^o *Posterior. analyticor.*, lect. 19, initio, et lect. 5, paragr. e, fin.

dignitates seu
axiomata

Principiorum indemonstrabilium simpliciter duo sunt genera, alia, quæ vocantur proprie *dignitates* vel *axiomata*, alia, quæ nomen habent *positionum*. *Axiomata*, quæ Tullius *effata* et Varro *profata* et *proloquia* nominat, apud Conimbricenses (1), sunt illæ propositiones immediatæ, quæ omnibus per se patent, quia nemo est, qui eorum terminos non clare percipiat: qualia sunt principium contradictionis, et illud aliud: *Totum est majus sua parte*, ac cætera id genus. Unde *proprium est horum principiorum, quod non solum necesse est, ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera* (2). Et ob eam causam dicta sunt *dignitates* seu *axiomata*, propter hujusmodi principiorum *certitudinem ad manifestandum alia* (3), sive quod tantam perspicuitatem obtineant, ut digna sint, quibus fides adhibeatur, sive, ut ait Themistius, quia inter ea, in quibus posita sunt, principem locum obtineant (4). Vocantur etiam communes animi conceptiones (5), quia nemo est hominum ratione utentium, qui nesciat illa, teneatque, nec debet proinde addiscere, cum scientiæ alicujus aggreditur studium.

et positiones;

Positiones vero sunt illa principia immediata, quæ demonstrari quidem nequeunt, cum sint immediata, non tamen omnibus nota sunt, quia pertinent ad materiam peculiarem alicujus scientiæ, ideoque necesse non est ea teneri ab iis, qui scientiam illam addiscere incipiunt, sed «in vestibulo scientiæ, ad quam pertinent, poni solent, unde et nomen videntur accepisse» (6). Tales sunt istæ propositiones: *Omnes anguli recti sunt æquales*, pro Mathæsi: *Dixæ contradictoriæ propositiones nequeunt esse veræ: Ex vero non sequitur nisi verum*, pro Logica.

Ad hujus... divisionis manifestationem sciendum est, quod quælibet propositio, cujus prædicatum est in ratione subjecti,

(1) In 1.^{um} libr. *Posterior.*, cap. 2, *Comment. litt. m.*(2) S. Th. cum Aristot., lib. 1, *Posterior.*, lect. 19, initio.(3) S. Th. 1.^o *Posterior.*, lect. 5, paragr. e.

(4) Conimbric., loc. cit.

(5) S. Th. 1.^o *Posterior.*, lect. 19 initio; quæst. 11 de *Verit.*, a. 1. Nihilominus in opusculo super Bœtium de *Hebdomadibus*, videtur cum eodem Bœtio sub nomine communium conceptionum comprehendere tum axiomata, tum positiones. Vide ipsum ibidem paulo post initium; item in quæst. 10 de *Verit.*, art. 12.(6) Conimbric., in 1.^{um} *Posterior.*, cap. 2, in comment. litt. m.

est immediata et per se nota, quantum est de se. Sed quarundam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia omnium, sicut ens, et unum, et alia, quæ sunt entis, in quantum ens, nam ens est prima conceptio intellectus. Unde oportet, quod tales propositiones non solum in se, sed etiam quoad nos, quasi per se notæ habeantur: sicut quod non contingit idem esse et non esse, et totum sit majus sua parte, et similia. Unde et hujusmodi principia omnes accipiunt a Metaphysica, cujus est considerare ens simpliciter, et ea, quæ sunt entis. Quædam vero propositiones sunt immediatæ, quarum termini non sunt apud omnes noti: unde licet prædicatum sit de ratione subjecti, tamen quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium quod tales propositiones ab omnibus concedantur; sicut hæc propositio: Omnes anguli recti sunt æquales, quantum est in se, est per se nota sive immediata, quia æqualitas cadit in definitione anguli recti, angulus enim rectus est, quem facit linea recta, super aliam lineam reclam cadens, ita quod ex utraque parte anguli reddantur æquales. Et ideo cum quadam positione recipiuntur hujusmodi principia (1).

Principiorum etiam demonstrabilium duo sunt genera, *suppositiones et petitiones* seu *postulationes* (*postulata* dicunt recentiores). Interdum enim ea, quæ non demonstrantur, videntur vera vel probabilia illi, ad quem demonstratio instituitur, ideoque pro illo supponi possunt et assumi tamquam vera, licet possent demonstrari, ac pro alio necesse foret etiam demonstrari: et hæc sunt *suppositiones*. Interdum vero nonnulla vult assumere demonstrator sine demonstratione, de quibus aut nullam habet opinionem vel notitiam, ille, cui fit demonstratio, aut habet contrariam, et ideo ea *postulat*, ut sibi concedantur: en *postulationes* (2).

suppositiones et
postulata.(1) S. Thom., 1.^o *Posterior.*, lect. 5, paragr. e.(2) Ita quidem Aristoteles, cumque eo Sotus, Conimbricenses etc. Nihilominus paulo aliter explicat D. Thomas discrimen suppositionis a postulatione, in hæc verba scribens: *Differunt autem ad invicem, quia siquidem talis propositio (indemonstrabilis per suam scientiam, sed demonstrabilis per aliam) sit probabilis addiscenti, cui fit demonstratio, dicitur suppositio... Si vero ille, nec sit ejusdem opinionis, neque contrariæ, oportet quod demonstrator hoc ab eo petat, et tunc dicitur petitio. Si autem sint contrariæ opinionis, tum erit*

Quod si reuenerit addicens ea concedere, oportet facere *quæstionem*, et disputare num vera sint, necne, ac proinde non possent interea, ut planum est, pro veris principiis assumi. Sciendum nempe est, cum primum quis addiscere incipit, non posse omnia, quæ fundamenti instar ad reliquorum intelligentiam supponenda sunt, plane intelligere. Unde necesse est, ut magister tradat ei *quædam*, quorum rationes tunc cum primo instruitur discipulus nescit, sciet autem postea perfectus in scientia. Et ideo dicitur, quod oportet addiscentem credere; et aliter ad perfectam scientiam peruenire non posset, nisi scilicet supponeret ea, quæ sibi in principio traduntur, quorum rationes tunc capere non potest (1).

Dantur quoque
principia
probabilia.

Denique notandum est principia posse esse non solum certa, sed etiam *probabilia*; et huiusmodi sunt principia conclusionum mere *probabilium* et *opinabilium*, quia conclusiones huiusmodi, supposita recta forma arguendi, nequeunt fluere nisi ex principiis probabilibus, siquidem ex necessariis (in quibus continentur certa) nequit in bona consequentia fluere contingens, de cuius genere est probabile (2). Nam ex duplici capite potest fieri, ut conclusio certa non sit, sed tantum probabilis, primo quia licet præmissæ sint certæ, consequentia tamen non sit necessaria, sed tantum probabilis, et secundo, quia consequentia quidem necessaria est, præmissæ vero incertæ ac probabiles dumtaxat. Secus absurdissime dicendum foret omnes conclusiones probabiles continere illationem dubiam et incertam. Audi Angelicum: *Et ad exponendum, quid sit opinio, subiungit, quod opinio est acceptio, id*

quæstio, de qua oportet disputari inter eos. (1.^o Post. lect. 19, parag. b.) Aquinatem sequitur Sylvester Maurus (*Comment. lib. 1.^o Poster. cap. 11, n. 2*), quamvis in *Quæstionibus philosophicis* (t. 1, quæst. 16) aliter loquatur.

(1) S. Th., *de Verit.*, q. 14, a. 10. Cfr. *Opusc. de Trinit. sup. Bæd.* q. 3, a. 1.

(2) Vide Arist. 1.^o *Posterior. analyt.* cap. 26 (al. c. 31); et cap. 25 (al. 32), ubi docet dari principia et propositiones immediatas, que non sunt *necessariæ*, sed *contingentes*. Et idem docet S. Th. ib. lect. 43, parag. g; et lect. 24, parag. c; Sotus, Toletus, Rubius et Conimbricenses in citatum locum Aristotelis; Complutenses (*Dialect.*, disp. 20, q. 3); Joannes a S. Thoma (*Logic.*, quæst. 26, art. 4); Mastrius *Logic.*, disp. 14, quæst. 1.

est, existimatio quædam immediatæ propositionis et non necessaria (1). *Quod potest duobus modis intelligi: uno modo sic, quia propositio immediata in se quidem sit necessaria, sed ab opinante accipitur ut non necessaria. Alio modo, ut sit in se contingens. Dicitur enim immediata propositio, quæcumque per aliquod medium probari non potest, sive sit necessaria, sive non necessaria. Ostensum est enim supra, quod non proceditur in infinitum in prædicationibus, neque quantum ad media, neque quantum ad extrema, et hoc non solum analyticæ in demonstrationibus, sed etiam logicæ communiter quantum ad syllogismos. Si ergo sit aliqua propositio contingens mediata, oportet quod reducatur ad aliquas immediatas. Non autem reducitur ad immediatas necessarias, quia necessaria non sunt principia contingentium, neque ex necessariis potest concludi contingens. Unde relinquitur quod sit aliqua propositio immediata contingens, et aliqua mediata. Sicut: Homo non currit, est mediata, potest enim probari per hoc medium: Homo non movetur, quæ etiam est contingens, sed immediata. Existimatio ergo talium propositionum contingentium immediatarum est opinio. Sed per hoc non excluditur, quin etiam acceptio propositionis contingentis mediatæ sit opinio (2).*

Ex data principiorum notione concludit Aristoteles (3) principia non solum esse priora, sed etiam notiora conclusionibus scitis et demonstratis. Primo, quia *propter quod unumquodque tale, et illud magis*, ut fert effatum (4). Sed demonstrans cognoscit conclusionem esse veram propter principia, quia nempe principia, unde illa derivantur, vera sunt. Ergo debet magis cognoscere ipsa esse vera. Sicut qui diligit medium propter finem, magis diligit ipsum finem (5).

Principia
sunt priora et
notiora
conclusionibus.

(1) Nota bene hanc definitionem opinionis non esse *universalem*, non enim convenit *conclusionibus* opinativis, ut per se patet, et observat Angelicus inferius.

(2) S. Th., lib. 1.^o *Poster.*, lect. 44, parag. c.

(3) Lib. 1.^o *Posterior.*, cap. 2, fin. Cfr. ib. S. Th., lect. 6.

(4) De sensu ac veritate hujus effati alibi agendum est.

(5) Vide etiam apud Aristotelem aliam rationem ad idem probandum. Cfr. S. Thom., loc. nup. cit., parag. c; et Toletus, Mauri et reliqui Commentatores in lib. 1.^{um} *Posterior.*, cap. 2.

Ceterum notat idem Philosophus, quod hoc, quod dictum est, quod magis necesse est credere principiis, aut omnibus aut quibusdam, quam conclusioni, intelligendum est de illo, qui debet accipere disciplinam per demonstrationem. Si enim conclusio aliunde esset nota, sicut per sensum, nihil prohiberet principia non esse magis nota conclusione in via illa (1).

Denique ex eadem doctrina colligit etiam Aristoteles, quod sciens aliquid ex principiis, nequit magis adherere alicui assertioni, aut principiis contrariæ, aut ex qua falsitas principiorum legitime inferretur. Quia sciens debet firmus remanere in assensu ejus, quod scit. Atqui si aliquid contrarium principiis magis crederet, quam principia, posset recedere ab assensu principiorum, et consequenter ab assensu conclusionum. Ergo... (2)

ARTICULUS II.

De propositione immediata et per se nota.

189. Quamquam otiosum forte alicui videatur disputatio-
nem de immediata propositione, quam sæpius in superiori-
bus commemoravimus, iterum nunc instituere; usus tamen
doctrinæ hujus ad varias questionem tum in Philosophia, tum
etiam in ipsa Theologia, necessariæ, suadet nobis, ut illam,
expositis antiquorum sententiis fusiore calamo exponamus.

Quid propositio
immediata.

Propositio ergo immediata est, quæ medio caret, unde
probetur, seu qua non est alia prior, per quam demonstrari
possit a priori, vel brevius, illa quæ nequit a priori demon-
strari. Et ratio denominationis ac descriptionis hujus est,
quia quandocumque aliqua propositio est mediata, id est, ha-
bens medium, per quod demonstretur prædicatum de subjecto,
oportet, quod priores ea sint propositiones, ex quibus demonstre-
tur. Nam prædicatum conclusionis per prius inest medio, quam
subjecto, cui etiam per prius inest medium quam prædicatum.
Relinquitur ergo, quod illa propositio, qua non est altera prior,
sit immediata (3). Verum hæc magis patebunt inferius.

(1) S. Thom., lib. 1.^o Posterior., lect. 6, paræg. d.

(2) Vide Aristot., lib. 1.^o Posterior., cap. 2, fin., ejusque Com-
mentatores.

(3) S. Th., lib. 1.^o Posterior., lect. 5 initio.

Ad investigandam autem rationem propositionis per se
note, observandum in antecessum est: 1.^o propositionem per
se notam non dici præcise, quia actu per se cognoscitur, sed
quia per se cognoscibilis est. Sicut objectum evidens dicitur
ex eo, quod manifestabile sit. 2.^o Propositio trifariam accipi
potest: α) pro enuntiatione orali, seu expressione interni ju-
dicii verbis facta, et sic dicitur propositio vocalis: β) pro
mentali actu affirmandi aut negandi unum de alio, et voca-
tur formalis: γ) pro ipso enuntiable objectivo, seu pro reali
et objectiva connexionem terminorum, quæ pro formalem propo-
sitionem affirmatur, et nomen sortitur objectivæ propo-
sitionis. Et nomine propositionis per se notæ, quæ hic venit
declaranda, non intelligitur proprie formalis nec vocalis, sed
primo et potissimum objectiva. Nam «de eo dicitur per se
notum, cui competit per se cognosci. Sed cognosci primo
et per se convenit rebus, propositionibus autem forma-
libus secundo et ratione rerum» (1). Quamquam deno-
minatio hæc deinceps extendatur ad formalem atque ora-
lem propositionem, utpote quæ signa sunt propositionis ob-
jectivæ (2).

Quid propositio
per se nota.

Notanda.

Definitio
propositionis
per se notæ.

Hisce præhabitis, propositio per se nota describi potest,
ex communissima sententia: *propositio cognoscibilis ex suis
tantum terminis* (intellige cognitione plena et perfecta); ni-
mirum illa propositio, quæ ut cognoscatur et affirmetur, suffi-
cit rite apprehendere terminos vel extrema, vel cujus assen-
sus paritur ex sola terminorum notitia. Propositiones per se
note sunt, inquit Angelicus, quæ statim, notis terminis, cogno-
suntur, ut dicitur 1.^o Posteriorum (3).

Ratio vero definitionis est, quia propositio dicitur per se
nota per oppositionem ad propositionem per aliud notam. At-
qui per aliud cognoscitur illa propositio, cui ut possimus
assentiri, non sufficit terminos ejus rite intelligere ac penetra-

(1) Conimbric., lib. 1.^o Posterior., cap. 3, quæst. 2, art. 2.

(2) Vide P. Christophor. Gillium, *De sacra scientia et de Deo*,
lib. 1, tract. 8, cap. 2, n. 1; Conimbric., lib. 1.^o Posterior., cap. 3,
q. 2, a. 2; Dominic. Sotum, lib. 1.^o Posterior., cap. 2 et 3, quæst. 2,
ad argum. 9.^{um}, ubi res fuse et optime declaratur.

(3) Lib. 4.^o Metaphysicor., lect. 5, fin.

re, sed recurrendum est ad aliud medium vel motivum, quod identitatem objectivam extremorum aut repugnantiam patefaciat.

Ex quo jam vides propositionem *per se notam* esse immediatam vel primam, atque adeo indemonstrabilem a priori, quemadmodum statim amplius patebit.

Non est contra rationem propositionis immediatæ vel per se notæ, quod demonstrari possit indirecte, vel etiam a posteriori.

Probe autem nota non esse contra rationem propositionis per se notæ vel immediatæ, quod demonstrari possit indirecte seu ex absurdo, vel etiam a posteriori. Quod enim aliquid cognosci etiam possit ex effectibus ejus, aut per argumenta indirecta non destruit cognoscibilitatem, qua potitur, ex sua propria natura. Et sic nullum est principium, quantumvis evidens, quod nequeat declarari etiam ex absurdis, quæ, nisi illud admittatur tamquam verissimum, consequerentur (1).

Divisio propositionis per se notæ in per se notam secundum se et quoad nos:

190. Celebris est divisio propositionis per se notæ, in *per se notam secundum se dumtaxat*, et *per se notam quoad nos*. Per se nota secundum se dicitur illa, quæ in se quidem immediata est, atque adeo, quantum est de se, perfectissime cognoscibilis terminis penetranti, non tamen de facto cognoscitur, quia non apprehenduntur, nec penetrantur termini: tales sunt v. g. hæc propositiones: *Deus existit: Anima humana est spiritalis* etc. Per se autem nota quoad nos (vel tum secundum se, tum quoad nos) est illa, quæ non solum est in se immediata, sed etiam talibus terminis constat, qui ab omnibus clare ac perfecte apprehenduntur penetranturque; et consequenter ab omnibus etiam de facto cognoscitur: hujusmodi sunt omnia axiomata. Quæ divisio sic ab Angelico Doctore describitur. *Quarundam propositionum termini sunt tales, quod sunt in nobilitate omnium, sicut ens et unum et alia, quæ sunt entis, in quantum ens, nam ens est prima conceptio intellectus. Unde oportet, quod tales propositiones, non solum in se, sed etiam quoad nos, quasi per se notæ habeantur: sicut quod non contingit idem esse et non esse, et quod totum est majus sua parte,*

(1) Cf. Albertum M. 1.^a Part. Summæ, quæst. 17; Cardin. Cajetan. in 1. p. q. 2, art. 1, paulo post init.; Conimbr. in lib. 1.^{um} Posterior., cap. 3. quæst. 2, art. 1; Christophor. Gill., Op. cit. cap. 27 Rubium, lib. 1.^o Posterior., cap. 2, quæst. 2, n. 14.

et similia... Quædam vero propositiones sunt immediatæ, quarum termini non sunt apud omnes noti. Unde, licet prædicatum sit de ratione subjecti, tamen, quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium, quod tales propositiones ab omnibus concedantur (1). Sicut ista propositio: *Homo est rationalis, est per se nota secundum sui naturam, quia qui dicitur hominem, dicitur rationale: et tamen ignorantii, quid sit homo, hæc propositio non est per se nota* (2).

Hanc tamen divisionem alii reprehendunt, quia nolunt agnoscere propositiones, quæ sint per se notæ solum secundum se; alii autem, quia præter duo illa genera volunt tertium obtrudere propositionum per se notarum dumtaxat quoad nos, earum nempe, quæ, quamvis non sint immediate secundum seipsas, nec cognoscibiles ex suis tantum terminis, tamen cognoscuntur a nobis sine medio. Et hujusmodi dicuntur esse istæ propositiones: *Petrus existit: Hæc charta est alba*; quæ, quamvis non sunt cognoscibiles ex terminis, siquidem nec existentia convenit Petro ex sua natura, nec chartæ albedo, sed pure contingenter; nihilominus ex sola sensuum relatione a nobis cognoscuntur absque illo medio ac discursu. Necessè est ergo videre, quid dicendum sit de istis duabus sententiis, ac proinde utrum admittenda sit cum S. Thoma prædicta illa bimembris divisio propositionum per se notarum.

a multis reprehenditur.

Quæ controversia proponi quoque potest sub aliis terminis. Nam medium, quod dicuntur excludere propositiones per se notæ atque immediatæ, duplex excogitari potest, *in essendo* et *in cognoscendo*. Medium in essendo est causa vel ratio, cur prædicatum a parte rei conveniat subjecto; medium autem in cognoscendo est causa vel ratio, quæ facit nos cognoscere, quod prædicatum conveniat subjecto. Quæ duo media sæpe diversa sunt, quia, licet quandoque res cognoscamus ex causis, sæpe tamen e converso res cognoscimus ex effectibus, quod cum evenit, medium cognoscendi non coin-

Quale medium excludat propositio immediata.

(1) 1. 2. q. 94, art. 2. Cfr. 1. p. q. 2, art. 1; lib. 1.^o Cont. Gent., cap. 11; de Verit. q. 10, a. 12; 1.^o Dist. 3, quæst. 1, art. 2; Lib. 4.^o Metaphysicor., lect. 5, fin. etc.

(2) S. Thom. 1.^o Posterior., lect. 5, paragr. e.

cidit cum medio essendi, seu ratio et medium ostendens nobis convenientiam prædicati cum subjecto, non est ipsa causa vel ratio intrinseca, propter quam subjecto tale prædicatum convenit.

Quæritur ergo nunc, qualenam istorum mediolorum excludat propositio, quæ *immediata* dicitur vel *per se nota*: sufficitne primo, ut excludat medium in cognoscendo, licet habeat medium in essendo? et sufficitne secundo, ut excludat medium in essendo, quamvis nequeat nobis manifestari sine aliquo medio in cognoscendo? an vero utrumque hoc medium excludere debet, ut propositio dicatur sitque vere immediata et per se nota? Si sufficit, ut excludat medium dumtaxat in cognoscendo, dabuntur propositiones per se notæ solum quoad nos, ac proinde propositiones, etiam prorsus contingentes, dummodo per sensus innotescant, dici poterunt immediatæ. Si vero utrumque medium excludere debet propositio per se nota, non erunt admittendæ propositiones per se notæ dumtaxat secundum se. Si denique sufficit, ut excludat medium in essendo, necesse erit agnoscere propositiones per se notas tantum secundum se, atque adeo amplectenda erit bitembris illa divisio propositionis per se notæ.

Duæ quæstiones
agrandæ.

Ut ergo de illa divisione iudicare possimus, duæ sunt hic nobis agitandæ quæstiones; prima, utrum propositio dici possit *per se nota* vel immediata ex eo solum, quod excludat medium in cognoscendo, licet habeat in essendo, atque adeo; utrum admittendæ sint propositiones *per se notæ* tantummodo quoad nos; secunda, utrum ad rationem propositionis per se notæ vel immediatæ satis sit, ut excludat medium in essendo, seu utrum admitti possint propositiones per se notæ tantum secundum se, licet non sint per se notæ quoad nos.

Opiniones circa
primam
quæstionem.

191. Quoad primam harum quæstionem, sunt plures auctores, qui censent, ad rationem propositionis per se notæ atque immediatæ sat esse, si careat medio cognitionis, licet habeat medium in essendo: et sic propositiones omnes, quæ sola experientia cognoscuntur, ut hæ: *Petrus existit: Hæ charta alba est*, licet non careant medio in essendo, esse tamen immediatas, quia a nobis cognoscuntur sine medio.

Ita sentiunt Philopponus ac Themistius (1), Sylvester (2), Cajetanus (3), Toletus (4), Valentia (5), Arriaga (6) alique.

Probatur hæc opinio: 1.^o ex usu modoque loquendi, satis nostris temporibus communi: nam illæ solent intelligi propositiones per se notæ, quæ sine discursu ac demonstratione nobis patefiunt. Atqui talia sunt, quæ solius experientie ope pronuntiantur.

Et confirmatur etiam ex auctoritate Philosophi (7) ac S. Thomæ (8), qui reprehendunt eos, qui existentiam naturæ volunt demonstrare, siquidem *naturam... esse, est per se notum; in quantum naturalia sunt manifesta sensui*, ut loquitur Angelicus.

Probatur 2.^o Quia propositio per se nota illa tandem est, quæ non cognoscitur per aliud, seu ex medio aliquo extrinseco. Atqui, quæ sola experientia patent, certe non videntur cognosci medio extrinseco.

Verum communior est opposita sententia, statuens ad rationem propositionis per se notæ requiri, ut excludat medium quoad rem ipsam, seu ut sit indemonstrabilis a priori, ac proinde propositiones sensu cognitæ, non *proprie* posse vocari per se notas. Ita loquuntur Scotus (9), Dominicus Sotus (10), Ferrariensis (11), Molina (12), Suarez (13), Conimbricenses (14), Gillius (15), Tanner (16), Joannes a

Communior est
probabilior
sententia

(1) Apud Conimbric., loc. cit., q. 2, art. 1, paulo post init., *Ex hac animadversione*.

(2) In *Conflato*, q. 2, a. 1, apud Gillium loc. cit.

(3) In lib. 1, *Posterior*, cap. 3, apud Gillium et Conimbricenses, 1.^o *Post.*, c. 3, q. 2, a. 2 in fin.

(4) In primam part. D. Thom., q. 2, a. 1, *Notandum est 3.^o*

(5) In 1.^{am} part. disp. 1, q. 2, punct. 1, *Jam probatur eadem major*.

(6) *Curs. Philos., Logic.*, disp. 16, sect. 4, n. 63.

(7) 2.^o lib. *Physicor.*, cap. 1, text. comm. 6.

(8) *Ibid.* lib. 2.^o, lect. 1, paragr. c.

(9) 1.^o *Sent. disp.* 2, q. 2.

(10) In lib. 1.^o *Posterior*, cap. 2 et 3, q. 2, *ad Nonum argum.*

(11) In 1.^{am} *Contr. Gent.*, c. 11, *Sed occurrit dubium*.

(12) In 1.^o p. q. 2, art. 1, fin., *Illud in hoc articulo*.

(13) *Disp.* 29, *Metaph.*, sect. 3, n. 33.

(14) In 1.^{am} *Poster.*, loc. cit.

(15) *De Sacra Scient. et de Deo*, lib. 1, tract. 8, cap. 2, n. III.

(16) *Theolog. Scholast.*, t. 1, *De Deo*, disp. 2, q. 1, dub. 2, n. 11.

S. Thoma (1), Matrius (2), Complutenses (3), Lossada (4) alique plures.

Et idem sensisse creditur S. Thomam, cum hæc scripsit: *Esse in nullius creaturæ ratione perfecte includitur, cujuslibet enim creaturæ esse est aliud ab ejus quidditate; unde non potest dici de aliqua creatura, quod eam esse sit per se notum et secundum se.* (5)

Inter has duas sententias

Secunda nobis probabilior videtur, quamquam disceptatio sit de modo loquendi.

Probatur 1.^o Quia cum sermo est de propositionibus per se aut per aliud notis, intelliguntur, ut jam superius monuimus, *propositiones objectivæ*, non autem formales aut orales, illæ quippe sunt per se notæ, quæ statim cognitæ terminis, (non certe oralibus vel formalibus, sed objectivis seu rebus per illos significatis) cognoscuntur ac pronuntiantur. Atqui propositio objectiva, quæ in se medium habeat, licet a nobis per intuitionem atque experientiam apprehendatur, nequit dici proprie ac simpliciter *per se nota*.

Nam particula illa *per se* non refertur ad subjectum cognoscens, nec ad ejus cognitionem, sed ad ipsum enuntiabile objectivum, et significat illud *ratione sui* et ex propria extremorum suorum conditione perfecte cognoscibile esse, quia nimirum veritas ejus et connexio extremorum non pendet ex alio. Atqui propositiones medium in se habentes, licet per experientiam ac sine discursu cognoscantur, non sunt ex suis terminis perfecte cognoscibiles; imo nequeunt perfecte cognosci, donec cognoscatur illud medium, a quo pendet tamquam a sua ratione sufficiente, quod prædicatum conveniat subjecto. Ergo...

Prob. 2.^o Experientia et cognitio sensibilis, quantumvis clara et intuitiva, semper est extrinseca ipsi enuntiabili. Ergo si enuntiabile solum cognoscitur et affirmatur propter experientiam, revera non cognoscitur *per se*, sed per aliud ipsi

- (1) *Curs. Philos., Logic.*, quest. 25, a. 2, ad 1.^{am} difficultatem.
- (2) *Log.*, disp. 13, quest. 3, n. 51.
- (3) *Dialect.*, disp. 18, q. 1, n. 8.
- (4) *Log.*, tract. ult., disp. 2, cap. 1, n. 11.
- (5) *De Verit.*, q. 10, art. 12.

penitus extrinsecum, ac proinde sola experientia nequit efficere *per se* notam propositionem illam, quæ in se medium habeat quoad esse.

Maneat ergo ex communiori ac verisimiliori modo loquendi, ad rationem propositionis per se notæ non sufficere ut de facto cognoscatur aliquo modo sine discursu propter solam experientiam, sed requiri omnino, ut vacet medio in essendo, seu sit indemonstrabilis a priori.

Et per hæc, patet solutio rationum, quas pro prima sententia adduximus: qua de re videndi sunt Conimbricenses (1).

192. **Succedit nunc altera quæstio**, an ad rationem propositionis per se notæ sufficiat eam carere medio quoad esse, licet forte cognosci a nobis nequeat sine medio cognitionis.

Negant Scotistæ cum Subtili Doctore (2), et Nominales cum Gregorio Ariminensi (3), ac Gabriele Biel (4), contententes propositionem ad hoc, ut sit per se nota, debere carere utroque medio, tum quoad esse, tum quoad cognitionem nostram, ita ut ex sola terminorum rite apprehensorum intelligentia cognosci ab omnibus possit atque affirmari: unde revera identificant propositionem per se notam cum *axiomatibus* seu dignitatibus.

At vero S. Thomas (5), Hervæus (6), Capreolus (7), Durandus (8), Sylvester (9), Cajetanus (10), Ferrariensis (11), Sotus (12), Bañez (13), Joannes a S. Thoma (14), Richar-

- (1) Loc. cit. q. 2, a. 2, vers. fin.
- (2) 1.^o Dist. 2, q. 2, paragr. *Quoniam secundum Philosophum...*
- (3) 1.^o dist. 2, quest. unic.
- (4) 1.^o dist. 3, quest. 4.
- (5) 1. p. q. 2, a. 1, cæterisque locis superius citatis in num. 190; *contra Gent.* lib. 1, cap. 11; *de Verit.* q. 10, a. 12; 1.^o dist. 3, q. 1, art. 2 etc.
- (6) 1.^o dist. 3, q. 2, paragr. *Et ideo.*
- (7) 1.^o dist. 2, q. 2, a. 1.
- (8) 1.^o dist. 3, q. 3, a. 5.
- (9) *Conflato*, quest. 2, a. 1.
- (10) In 1. p. q. 2, a. 1.
- (11) In lib. 1. *Contra Gent.*, c. 11.
- (12) In lib. 1. *Posterior.*, cap. 2, 3, q. 2, ad argument. 9.^{um}
- (13) In 1. p. q. 2, a. 1.
- (14) *Curs. Philosoph., Logic.* quest. 25, a. 2, ad 1.^{am} difficultatem.

Opiniones circa
alteram
questionem.

Communior et
probabilior
sententia

dus (1), Complutenses (2), Molina (3), Toletus (4), Suarez (5), Valentia (6), Vazquez (7), Gillius (8), Tanner (9), Arriaga (10), Rhodes (11), Izquierdo (12), Compton (13), Rubius (14), Lossada (15), alique arbitrantur ad rationem propositionis per se notæ sufficere, ut in se non habeat medium quoad esse, sive interea nobis manifesta sit per seipsam, seu ex ipsis terminis, sive non.

defenditur.

Quamquam hæc etiam controversia potius est de modo loquendi, ut jam plures notarunt, nihilominus

Placet nobis secundam longe communiorem sequi sententiam.

1.^o Quia propositio per se nota est ea, quæ cognoscibilis sit ex suis tantum terminis, ex communissime admissa superiusque declarata definitione. Atqui omne enuntiabile carens in se medio quoad esse, per quod a priori demonstretur, quantum est de se, perfecte cognoscibile est ab omnibus, terminorum seu extremorum vim satis percipientibus, licet interea non possit in notescere statim alicui vel etiam omnibus, quia non capiunt eorum significationem.

Enimvero quod termini actu penetrentur a nobis vel non, per accidens se habere videtur ad perfectam rei in se cognoscibilitatem siquidem terminorum penetratio et intelligentia est aliquid pure externum, nihilque ponit intrinsicum in propositione, ut eam efficiat ex non cognoscibili perfecte cognoscibilem.

(1) 1.^o dist. 3, a. 1, quest. 2.

(2) *Dialect.*, disp. 18, q. 1, n. 7.

(3) In 1.^{um} part. q. 2, a. 1.

(4) *Ibid.*

(5) Disp. 29 *Metaph.*, sect. 3, n. 33.

(6) In 1. p. disp. 1, q. 2, punct. 1.

(7) In 1. p. q. 2, a. 1.

(8) *Loc. cit.*

(9) *Loc. cit. de Deo*, disp. 2, dub. 2.

(10) *Logic.*, disp. 16, sect. 4, n. 63.

(11) *Philos. Perit., Logic.*, disp. 5, quest. unic. sect. 7.

(12) *Pharus scient.*, disp. 18, q. 8, n. 319.

(13) *Curs. Philos., Logic.*, disp. 48, sect. 4, n. 3.

(14) In lib. 1.^{um} *Posterior.*, cap. 3, quest. 2, fin.

(15) *Logic.*, tract. ult., disp. 2, cap. 1, n. 16.

2.^o Nomine propositionis per se notæ intelligenda est propositio objectiva, ut jam sæpius monuimus. Atqui objectiva propositio, sive termini ejus clare actu percipiuntur sive obscure, dummodo medio in se careat, non desinit esse perfecte cognoscibilis ex sese, et sine recurso ad aliud.

Nam apprehensio terminorum clara non est tandem *meditum*, quod propositionem ipsam reddat cognoscibilem, sed mera conditio, ut actu cognoscatur; et quando actu clare apprehenduntur termini ex suis propriis meritis, ex sua objectiva et ontologica ratione determinant cognitionem propositionis, seu mutuam sui connexionem, quia nullum inter eos medium intercedit. At vero eamdem illi retinent objectivam et ontologicam rationem perfectissime invariata, etiamsi nondum clare ob ingenii nostri tarditatem penetrentur. Ergo si cum clare percipiuntur termini, propositio in se immediata rationem certe habet propositionis per se notæ, fatentibus omnibus; idem etiam est dicendum, licet termini non clare apprehendantur, quia etiam tunc habet in se propositio illa totum, quod requiritur, ut sine recurso ad medium alienum a se perfecte possit cognosci.

Confirmatur ex dictis in præcedenti propositione. Nam si ad rationem propositionis per se notæ non sufficit, ut actu cognoscatur sine medio, nempe solius ope experientiæ, si medium in essendo habeat; ergo a pari non requiritur, ut præcise cognosci a nobis actu possint clare termini, dummodo propositio in se medio vacet. Intima quippe rei ratio in utroque casu eadem est, nimirum impossibilitas vel possibilis propositionem seu connexionem vel repugnantiam terminorum perfecte cognoscendi, quin prius necesse sit aliquid aliud, medium nimirum, cognoscere.

Hinc vides, quomodo radix hujus controversiæ dissensionisque reposita sit in diversa propositionis per se notæ intelligentia, ut bene notarunt Capreolus, Sotus, Suarez, Conimbricenses alique, Nam Scotistæ nomine propositionis ac terminorum accipiunt propositionem ac terminos formales: et quia tunc solum propositio mentalis seu formalis ex sola terminorum apprehensione ponitur, cum apprehensiones actu clare sunt atque evidentes, quando vero sunt obscuræ non determinatur intellectus ad ponendum actum formalem men-

tis judicantis connexionem terminorum, consequenter postulant ad rationem propositionis per se notæ notitiam ac penetrationem eorumdem. Sed jam notavimus propositionem ac terminos intelligendos esse objective (1).

Adversus hanc doctrinam.

Solvuntur
difficultates contra
tertiorem
doctrinam.

193. **Objicies 1.^o** Propositio per se nota est ea, quæ ex suis tantum terminis cognoscitur, vel cognoscibilis est. Atqui propositio, quæ habet medium in cognoscendo, licet non habeat in essendo, non cognoscitur ex suis terminis, sed ex terminis alterius. Ergo...

Resp. dist. Maj. Est ea, quæ cognoscitur, vel cognoscibilis est ex suis terminis objectivis, *conc.*, formalibus *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg. conseq.*

Objic. 2.^o Propositio per se nota est illa, quæ in quovis intellectu evidentem gignere potest assensum, sine alio motivo. Atqui talis non est propositio, quæ licet medium non habeat quoad se, indiget tamen pro nobis medio in cognoscendo. Ergo...

Resp. dist. Major. Est illa, quæ in quovis intellectu evidentem gignere potest assensum, dummodo termini rite intelligantur ac sufficienter penetrentur, *conc.*, est illa, quæ in quovis omnino intellectu evidentem gignere potest assensum, quatenus illam nullus possit esse intellectus, qui actu non percipiat penetretque terminos illius, *neg.*, vel *subdist.*; illa est propositio per se nota *quoad nos, conc.*, absolute, seu talis est conceptus genericus propositionis *per se nota, neg.*

Nam duplex distinguitur propositio per se nota, *secundum se* tantummodo, et *quoad nos*, ut jam dictum est. Quod vero termini alicujus propositionis debeant omnibus actu innotescere, ut ita possit ab omnibus sine medio cognitionis illa propositio affirmari, requiritur solummodo ad propositionem per se notam quoad nos, non vero ad rationem propositionis per se notæ generatim sumptam, quæ ex eo jam plene constituta manet, quod non habeat medium in se, nec possit a priori demonstrari, quamvis deinde actu non cognoscatur, nisi dependenter a sufficienti terminorum apprehensione ita, ut sicut nemini patefit, si terminos ignoret,

(1) Cfr. Conimbricenses, loc. cit., art. 2.

sic omnibus patefieri necessario debeat, ac perfectissime nota reddi, statim ac termini rite penetrentur.

Objic. 3.^o Idem nequit esse per se notum, et non per se notum. Atqui id sequeretur, nisi propositio per se nota excludat medium etiam cognitionis. Propositio enim solum excludens medium quoad esse, foret per se nota, quia talis supponitur; non autem foret per se nota, quia non posset cognosci sine medio cognitionis, ideoque per aliud.

Resp. conc. Major. et neg. Minor. Et hujus probationem *dist.* quoad alteram partem: non posset cognosci ex defectu perfectæ cognoscibilitatis in se, *neg.*, ex ignorantia terminorum *conc.*

Nam «negandum rem confuse cognitam non esse aptam clare cognosci, etiam dum ita cognita est: non quod sub illa ratione confusa objecta intellectui, possit clare objici, id enim repugnat; sed quia ita sumpta, est de se apta objici conceptibus evidentibus, et per eos per se cognosci. Tota igitur vis opinionis, quam sequimur, in eo est, quod res non habens a parte rei medium distinctum, non accipit ab intellectu, ut hoc vel illo modo cognoscatur, sed a se habet, ut a potentia perfecta clare percipiatur absque ullo medio termino, sitque cognoscibilis, quantum ad rationem per se notæ propositionis exigitur» (1).

Objic. 4.^o Propositio etiam objectiva ordinem habet ad intellectum, a quo apprehendatur. Ergo vel termini, quibus constat, apti sunt ad causandum per se assensum, vel non. Si apti sunt, jam propositio illa per se nota est, tum quoad se, tum quoad nos. Si autem non sunt apti, nullo modo est per se nota.

Resp. conc. antec. et conseq., et dist. primum membrum subsumptæ. Si apti sunt, et satis etiam penetrantur, *conc.*, si apti quidem sunt, quantum est de se, non autem sufficienter penetrantur, *neg.*

Alterum etiam membrum *distinguo*; si apti non sunt ex eo solum, quod non penetrantur, *neg.*, ex eo quod dependent ab aliquo medio a parte rei, *conc.*

Et *nego conseq.* Vide plura de his apud Conimbricenses (2).

(1) Conimbricenses, loc. cit., q. 2, a. 2, fin. paragr. *Unde in prima responsione Scoti...*

(2) Loc. cit. art. 1 et 2.